



Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE MEMBRIS ECCLE-||SIAE MILITANTIS,|| TRIBVS LIBRIS|| EXPLICATA.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

IV. Non esse populi, sed Episcoporu[m] vocare Ministros.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53880](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53880)

CAPVT IV.

*Non esse populi, sed Episcoporum, vocare
Ministros.*

SEQVITVR altera propositio. *Vocatio seu mis-
sio Ministrorum non ad populum pertinet, sed
ad Episcopos, & potissimum ad summum Pon-
tificem.* De hac propositione satis multa dicta sunt in li-
bro de Pontifice, vbi demonstrauius, Ecclesiasticam iuris-
dictionem non esse in ipso cœtu fidelium, sed in capite, id
est, in summo Pontifice, & ab eo ad Episcopos, ceteros deri-
uari. Probat igitur hæc propositio primùm ex verbo Dei;
legimus enim Petro collatam potestatem, Matthæi 16. &
Ioan. 21. *Tibi dabo clauis. Et, Pasce oues meas.* Et rursus A-
postolis Ioan. 20. *Ego mitto vos, & quorum remiseritis pec-
cata, remittuntur eis.* Multitudini autem fidelium Christus
auctor omnis Ecclesiasticæ iurisdictionis nihil vnquam tri-
buisse legitur.

Deinde idem hoc probatur ex Apostolica consuetudine.
Nam Act. 14. Paulus & Barnabas Episcopi & Apostoli con-
stituebant per ciuitates Presbyteros, & ad Tit. 1. *Huius rei
gratia, inquit Apostolus, reliqui te Creta, & constitui per
ciuitates Presbyteros, sicut ego constitui tibi.* Et ipsi etiā Cen-
turiatores Cent. 1. lib. 2. cap. 2. fatentur primos Episcopos
post Apostolos ab Apostolis constitutos.

Denique idem colligitur ex sequentibus. Demonstra-
turi enim sumus paulò infra, electionem Ministrorum po-
pulo non conuenire; ex quo certè sequitur maiori ratione
vocationem eidem populo non conuenire. obiectiones
aduersariorum omnes simul tum refel-
lentur, cùm de electione
disputabitur.



CAPVT